Czarnkowski Vladislaus.

Poleszkowicz Joannis: Fascia arctissimo virtutum et honorum nexu colligata.

FASCIA
ARCTISSIMO
VIRTUTUM & HONORUM
NEXU
COLLIGATA
Eaq;
PERILLUSTRI ac MAGNIFICO DOMINO
D. VLADISLAO
DE CZARNKOW
CZARNKOWSKI
OSSIECENSI &c. &c. CAPITANEIDÆ
SUBMISSA VENERATIONE

Per

IOANNEM POLESZKOWICZ

PROPOSITA.

ANNO à DEO FASCIATO.
M. DC. LXXXIX.

POSNANIÆ, In Typogr: Rndi D. Alberti Laktanski.

Jn Stemma Gentilitium
PERILLVSTRIS ac MAGNIFICI DOMINI
D. VLADISLAI de Czárnkow CZARNKOWSKI,
OSSIECENSIS &c. &c. CAPITANEIDÆ.



FASCIA, CZARNKOWIO, Patrio pro Stemmate fulget,
Vt sic CZARNKOWIIS, Crescat vtrinq; decus,
Scilicet, hic Nexus, virtuti junxit honores,
Cum virtute solet gloria habere vices,
Ergo Stemma Tuum, Lechicus meritò Orbis adorat;
Quando refert famam FASCIA Sarmatiæ.

AD PERILLVSTREM ac MAGNIFICVM DOMINVM
D. VLADISLAVM
DE CZARNKOW
CZARNKOWSKI
OSSIECENSEM &c. &c. CAPITANEIDEN.

QVod mihi propensus animus in Tui venerationem inspiravit, hoc inter cætera Magnificentiæ Tuæ Encomia loqui vellim. Perillustris ac Magnifice Domine. *Sed quid audebo in tantæ virtutis discurrere Elogia? vbi vel ipsa Eloquentia tanto oneri impar obmutesceret. Quid geminatas celebrare virtutis dotes intendam? vbi etiam ad ipsa gloriæ incrementa, vel ipsa suada invincibilem simularet ignorantiam. Scilicet, arduum est oblongum in Oratorum Pneuma debiles diducere voces, non expedit rudi & ineruditæ linguæ vocales tentare periodos, vbi laudantium tenuitas subsistere nequit. Quare, frustra ad limpidos oratorum fontes, & vberem verborum profluentiam, se evadere posse is speret, cuius, jam toties in altiori debilioris facundiæ oceano naufragavit Eloquentia. Parcendum igitur laudationi, ignoscendum Eloquentiæ, vbi virtutum amplitudo linguam & animum oratoris, rapit in admirationem. Nimirùm, adeo literaria Suada præsumptiosa toties vniverso comparuit orbi, suamq; insanam non malè huic sæculo exemplificavit aviditatem, vt cum omnia*

magnorum virorum Honoris Virtutumq; ornamenta exiguæ paginæ animo intercludere videretur, nec primordia quidem illarum assequi potens, cum summâ vanæ suæ gloriæ clade, confusa, ab animis ab oculis hominum elabi multoties sibi exoptaverat. Tuarum hodie Virtutum Perillustris Domine, *in arenam descendo. Non ita laudationis Tuæ hodiæ sterilescit materies, vt illam exilis hæc pagina ambire valeat. Adeò enim meritis Tuis Polono refulsisti Orbi, vt vix vel illud Oratorum oraculum Tullius, aut eloquentissimus Maro facundæ virtutis suæ ope, condignè Tua adæquet Encomia. Itaq; bene sibi ominari potest Sarmaticus Orbis, cum in Tuo Gentilitio decore veterem Heroûm Gloriam advertat Fasciatam. Quod si adhuc vetustati Magna Filiorum nomina spectare fata concederent, adeo sibi invidioso animo ambitiosa indignaretur antiquitas, quod virtute, Gloriâ, Famâ, victorijs, Triumphis Honore, Felicitate, comparem sibi imò, gloriosiorem videret posteritatem. Et certè obstupesceret Antecedanea Ætas, si in Illustri Fascia Tua hæc omnia spectaret ornamenta, Nibil igitur Polonus Orbis splendoris aut immortalitatis habet, quod nativus Tuus non comprehendat Nexus. Immò quæcunq; præmia aliorum meritis seorsim cæca conferebat DEA, Hæc Tibi simul compendiosè amica insinuavit felicitas: adeò vt vel ipsa fortuna mancipata Tibi censeatur. Quamobrem, habet quòd in Te veneretur Polonus Orbis, cum à Tuis meritis suam desumat Magnificentiam. Igitur eò Virtutum Tuarum suffragio pervenisti, vt non immeritò illarum compendium dicereris. Quod quia in Te propensi animi mea suspexit veneratio, protinùs vilis hic labor. Tuas se resolvit in laudes, non tamen ille omni ausu Tuas celebrabit Panægyres, antequam illum intra Tuam Fasciam complectaris benevolentiâ.*

Perillustris ac Magnificæ Dominationis Tuæ

Addictissimus servus

IOANNES POLESZKOWICZ.

MAgnificentiæ Tuæ necnon amplissimæ Domus arcana pando, PERILLVSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE, neq; enim eam aut felicitatis causam, seiungi fas est, cum eosdem intra terminos vtrumq; subsistat decus. Non quidquam fortuna dedit vnquam nisi paria è Domo vestra reciperet ornamēta. Fortunæ debent quos ob magnitudinē recensere arduum est, illa Magno Nomini Tuo Magnificentiæ suæ titulos & pompam. Fortunam ipsam quæ pro cæteris erubescit frequentiùs feliciorem reliquit CZÁRNKOVIANA Celsitudo. Sequitur quasi ad nutus obediens non remorante gradu amplissimam eandem amicissima comes dignitatem, quam longa antecedentium ætatum series Domûs Tuæ, ita complexa est, vt tota nunc etiam spectetur. Sed egone immensum solem parvo circumferre Zodiaco præsumo, tantis impar muneribus Encomiastes? quia enim libenter in hoc se stylus detineri patitur, vbi suæ illi occurrit exemplum dignitatis, verecundam mentis submissæ assumo audaciam, nec à propositis retraho mentem, vbi virtutis amplitudo amplam affert materiam. A Tuo Nomine grandescere sperat exilis dictio mea, postquam ipsa in eo felicitas lucem invenit eam quam splendori adderet suo. Vt interim Fortunæ Tuæ occurrisse valeam, facilè ascensu ad excelsam lucem deducor Tuam; quæ in cunis jam tantam ostendit Te, quantus esse debuisses, à quo Patria

B splen-

ſplendores, virtutes, dignitatem olim eſſet petitu-
ra. Providêre Tibi ſuperi, ne propria tantùm vir-
tutum radiares luce, cum Illuſtriſsimorum quoq;
hic labor maiorum fuerit Tuorum vt non magis vi-
ta Tibi, quam gloria illuceſceret Vtrumq; ex Illu-
ſtri auiti ſanguinis ſcaturigine traxiſti, fatis ita di-
ſponentibus, vt eorum hæres decorum naſcere-
ris, quæ augere malles quam agnoſcere Tua certè
erant, quæcunq; maiorum ſollicitudo congeſsit
ornamenta, claritatem Tibi hæc ſervabant ſuam
quâ in terras reducereris. Si verò vel ad prima For-
tunæ apud vos diuerſantis veſtjgia ſtudio venerati-
onis hæream, obviam in ipſa Illuſtriſsimi generis
origine habeo immortalitatem, Si à minori auſpi-
caturus operam ad cunas prorepo Tuas, nunquam
perituram inuenio Gloriam, gaudet ſcilicet fama
vel ipſas magnorum prenſare cunas, quorum olim
ætate ipſa creſcat: ambit noſci illis, quorum olim
à Nomine nitorem ſit habitura. Intereſt virtutis vt
in ipſa origine teneri imbuantur animi auitæ glo-
riæ luce, ne alium deinde colorem poſſent bibe-
re, adeòq; & ipſa virtus gauiſa haud dubiè eſt, cû
Te ad immortales laureas etiam in ipſis cunis
aptum cerneret, quas jam à Te perennes habet.
Aſsiſtere Tibi primos molienti paſſus, majorum
immortalia merita quorum comitatu ad perenni-
tatem deducereris. Docuiſti pertinere ad ipſius e-
tiam gloriæ amplitudinem, ſi Tuo illaberetur or-
tui à quo incrementum & robur eſſet habitura. Ha-
bet non parum Majeſtatis, ne an adminiculi virtus,
quæ ab ipſis incunabulis, naturæ ſiuè fati judicio,
ſic attollitur, ut ex hoc faſtigio deſpicere poſsit,
quidquid illi contingerit periturum. Summo ſci-
licet

licet loco natis id solùm cogitandum est; quantò supra maiorum gloriam contendant passu, postquam illis primus ad famam gradus est qui majoribus fuit supremus. Ea sunt ex tam alto designanda facinora, quæ nec tenebras mereantur, nec inducant: si vel exilitate oculos impleant aut in dignitate fugiant. Magnum equidem est petitis è cinere suffragijs famam non egere, sed maiore fiducia ad immortalitatem virtus emicat quæ sponsores habet famæ notos. Non alienus ille splendor est, quo gloriæ monstrantur posteri; si illis derivatus à majoribus sanguis sub communi virtutis fluit nomine. Ad Te igitur hoc circuitu gaudet exile devenisse Encomium PERILLVSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE. Non aliter nisi sola veneratione libanda sunt merita Vestra, quæ immensum foret consequi cum famam quoq; sæculorum possint fatigare An enim ad ipsa propè gloriæ Polonæ cunabula retroâgere licet obtutum, nisi per Vestros Titulos ac virtutes illi sit incedendum. Equidem Poloni Nominis nè invidia quidem mentionem facere potest, nisi simul mortalitatis meminerit Nunquam tamen hoc tam amatum famæ est quam cum illa Vos simul cōplecteretur. Nunquam Poloni diadematis Majestas effulsit illustrior, quám cum Vestris aut Scipionibus niteretur, aut Curulibus incûberet. Fortuna Polona nunquam securior, quam cum Vestro cingeretur Circu, fortiùsq; gentilina colligaretur Fascia. Sed forsan meâ referret magis ne inculta dictione ea attingam nomina, quæ fama æternaturis consignavit monimentis, quæ fastorum labor & decus, non interruptum Gloriæ ordinē nostra inter tempora promoverunt. At enim in tanta luce quid-

quidquid auſum eſt. Sola factum venerationis cauſa, ſolo obſequiorum ſtudio. Non enim periculũ eſt, vt illuſtria ornamenta Veſtra ab impari ingenio ſuæ incurrant dignitatis damnum, cum ſupra ætatum quoq; iniuriam eluctata timere non poſſint, ne obſoleſcant. Fatum id ſcilicet hactenus putabat Orbis, quòd Vobis Virtus eſt, vt alia magis Nomina quàm merita & præmia meritorum in domo Veſtra numerentur. Quanquam non eundem Veſtro in conturbernio Honor ſe miratur cũ ita ad Nepotes tranſeat vt Majorum neceſſe non habeat meminiſſe ſtupenda virtutum fæcunditas. Vobis, immò Patriæ præſtat, ne indignabunda curioſitas veterẽ gloriam ſcrutari illãq; requirere aut velit aut poſſit. Adeoq; in tanta felicitatis Veſtræ amplitudine, cum & Fortuna ſplendidiſsima ſpectetur, & fama ſit optima, vtraq; adhuc excuſanda eſt quòd quantamcunq; Vobis dederint claritatem, neutra tamen parem meritis. Miratur Polonus Orbis ſuperum ac naturæ de Vobis Conſilium, quòd nec vnicũ Vobis providerint ſubſidium, quò ſecuri de æternitate ageretis. Illud nempe pulcherrimũ adepti eſtis vt omni faſtigio pares & dignos Vos credat Orbis. Illud verò etiam ſplendidiſsimũ eſt, quòd nulli non admoti eſtis culmini, quod gloriæ aut fortunæ limites non excedit. Probata famæ plauſu in majoribus Tuis merita, novitatis gratiã Tibi non consũpſerunt, imò ne prælibarunt quidem, ita guſtum integrum in illis Patria invenit; ideoq; tantũ Tua Majoribus illuſtria facta præceſſerunt, ne nunc incipere viderentur. Deſignas Tu æternitati non ſilenda merita Majorum animo, quẽ Tibi, Ideam propoſuiſti vt

tran-

transcendas. Insistis exemplis Illustribus, sed vt exemplar esse posis. Excipis præcedentium virtutum lucē, sed vt Tuis dignus sis præire. Inspiras vitam meliorem Tuis Majoribus quorum in Te memoriam famæ rursum dedicasti. Neque enim Te hortantur solum Avorum Imagines, sed (quòd ad aliorum & Tuam Gloriā satis est) agnoscunt. Agnoscit (quòd laudis genus supremum est) agnoscit in Te amor publicus, quòd non soli famæ imputet aut consuetudini, quasi inter merita Vestra ab antiquo didicerit quiescere. Quamquam enim gloriosum est, si cui per Natalium seriem in affectus iter, nemo tamen legem sibi datam putat, vt aliena merita, illis etiam obligent, à quibus non fuerunt. Nec inuidiosum potest esse cuipiam, in tam labili præsertim sæculi circa virtutes memoria, si illis tantū eadem amori persuadeat rectefacta, quæ in posteris vivere, recentia & repetita evincuut documenta. Miratur non parumper Polonus Orbis grandè illud Fortunæ Polonæ ac Gloriæ depositum à publica solicitudine apud Vos collocari? libertatis quippè non studio tantùm Vestro & judicio, sed plurimum Officio & propè imperio famæ estis Tutores, vt ad æternam in hoc, communi sensu Vestra transmittatur gloria. Audeamne Nobilissimæ Domûs Tuæ ornamenta recensere? quæ longo memoranda ordine, sacrā inter antiquitatem receptum sibi quendam videntur occupasse, Supervacaneum est illa Majorū protrahi merita quæ non interruptâ seriè, per Posteros ducta, Nondùm se oculis omnium subtraxerunt. Inutile puto per titulos splendidi-

 ores

ores CZARNKOVIANÆ Domûs pariri gloriam, cum tota in meritis maluisset videri. Experiri tamen quàm præsenserat infirmitatem dictio mea cogitur quæ tot deberet involuere Nomina, quot non satis potest merita percensere. Tacendus ergò ille Inuictus novi dicam Martis Lechici animus, qui Heròicis facinoribus non ipsam iam Patriam illustrauit, sed ipsam immortalitatem. Quis satis Ciceronianone an Platoniano ore illa, valet enarrare studia, quibus Patriæ in succursum, hostilia proruendo in discrimina, sua expediisse solebat obsequia. Bibit non semel eò abundantiùs hostilis furor ignominiam, quò celeriùs ejus in terga Invictissimus provaleret Hector. Resonat Potentissimi Poloniarum viri vocalissimũ Nomen, Carpatijs adhuc repercussa montibus famâ, quòd eò longiori in Orbem tractu, Sarmaticam tranquillitatem promoveret quò generosiùs vitam, Sepulchralibus evolvat ab antris fama, quæ ad præsidium celsitudinis alterius Achillis ferro armata exarauit dextera. Lustrabat ille Bellator hosticum, & nunquam vaginæ gladium imposuit siccum. Post egressas aduersæ potentiæ Nubes, post effusos infidi cruoris imbres, optatam pacis publicæ colorabat Iridem. Oriundis verò è Domo CZARNKOVIANA Heròibus triumphalem erexit ensem, Coronavit ferro dexteram, cùm ceruices hostium acuto premeret acinace. Per fraudes cum Lescho alij ad rapiendam, Ille ad conseruandam Lechici Regni Coronam ruebat per opertos Hostium cuspidibus agros: nec rosis stratam, sed mucronibus: integer vitæ vulnerisq; purus ex ferri triumphalis præsidio volitaret per-

aci-

aciem. Stagnant adhuc nonnulli tabo Hostium Campi, & inani sudore adimpleta eius vestigia, in quibus cum speculo intuitur Polonam fortitudinem Hostis prætereequitans, cadentibus pupillâ imbribus humum verberat, quòd vnius Poloni Scævolæ manus tantas exerati furoris Phalanges profligauerit. Non sæpiùs aquas hostili commistas cruore transire noluit, antequam ex Cadaveribus stratis induceret pontem. Non ex Nauibus aut quondam Hellespontico freto Xerxes, sed ex gladijs manibusq; abscissis, pudibundis fluctibus cōpedes injecit toties. Sudabat sub Galea tanti Bellatoris caput, Ferro totus livebat, & chalybe, sed ferreo in carcere mens aurea pretiosus animus claudebatur. Hastam adeò scite stringebat in hostem, vt vita & equo dejectus laudaret manum hostis cum caderet, & solatium cladis putabat quod tanti Heròis gladio manuq; dignus fuisset. Docuit Nobilissimus Hector Parens Tuus, quid in quovis campo valeat Polona Aquila, cui non humilem prædam, sed ipsum etiam Draconem Moschoviticum obiecit. Heròicæ gloriæ Invict9 Bellator, tantam salutis publicæ patiebatur famem, vt tot vicibus Hostium furore fracto eam extinxisse nequierit. Tantùm illi ex ore Draconis manavit mellis: vt deinde haud remorante gradu ad bella velut famelicæ apes ad favum festinaret. Tanta illa feritas versa in dulcedinem: Ita ei omnia bellorum placuêre discrimina, vt non prima tantùm prælia, sed mortes quoq; ipsas dulces crederet pro Patria. Tam forti experimento, bellicæ virtutis initiatam famem, nihil humile vnquam præclare agendi pro Patria satiare po-

tuit.

tuit. Effusus Hostium sanguis adeò Heròico eius animo dulcis videbatur, vt illo vsq; ad obliuionē illius ebrius, auderet illa perficere, quæ alij vel cogitare formidassent: Ille tanti Heròis cum CZARNECCIO, cuius toties gloriosè implevit vices, infractus erat animus, vt de campis discedere, nisi extrema illos in suppetias evocare pericula vellent. Quid memorem vlteriùs non vltroneis duntaxat obsequijs potentem, verùm etiam Cælorum sibi militantium prodigioso admirendum subsidio. Hoc intra Regni viscera publicis distento officijs dùm Hostium copiæ involantium more prædonum sese Poloniæ finibus infunderent, ita vicibus repetitis profligavit, vt infami fuga ægre se in tutū receperint. Perijsse jam toties debebat in prælijs si potuisset, qui tot jam mortes superauerat. Ipsa Polona Aquila in triumphum evolabat, quoties Bellatoris vtramq; manum in qua securitate publicam Mars Lechicus reposuerat aspexit salvam. Et stratâ jam potentiâ, eo redeunte vistula quoquo solito celerius ire videbatur, quasi ad hoc illum vellet commitari, vt sudorem Martium abstergeret. Poloni nominis amor illas ei addiderat allas, vt nulla velocitas par esse potuerit. Triumphales eis necte Polonia lauros! qui tot difficultates superârunt. Illis voto publico

Manna fluat cælumq; irroret hymettia mella.
Hos lauri virides, hos myrthea protegat vmbra
Qui tot hostilia vicêre discrimina.

Vix alios vixisse crederemus, nisi fidem oculi aut linguæ hominum mererentur, & quamquis ipsas nubes, celsioribus æquabant titulis, in magna nihilominùs celsitudine tantùm misere decreuerunt,

vt nec pulverem sui in copia reliquissent, ex quo tantæ magnitudinis vestigia collegissemus. Ardebant equidem titulorum splendoribus accensæ Majorum Ceræ extra tamen longum puppillarum fulgorem, ita enim valido fatorum spiritu extinctæ sunt, vt nec fumum dedissent, quò mœrorem à pectoribus, lacrymas extorsissent ab oculis. Hanc obliuionem sui metuisse debebat CZARNKOVIANA Virtus, quæ triumphali ferro etiam ipsam mancipavit immortalitatem. Rubuit non parumper trabea, quòd à cruento Bellonæ sipario, clariorem accendi vidisset mucronem. Vnde non mirùm est Mecænas ILLVSTRISSIME, cur toties in aula Vestra honor vbertim fleuerit, indignus enim toties generosâ puppillâ est, quem inspiciunt aliqui, vix non vsq; ad amisionem oculorum. Jllos precaria astra saturent, quos ingens domi esuries titulorum vexat. Augere Virtus CZARNKOVIANA decora solita est, non accipere, eò magis contenta luce propria, quò alienæ aura minus. Quia verò fomento indiget honor facilèq; absumptis Majorum ceris extinguitur, nisi novas apponat posteritas: hinc numerosis cum virtutum pabulis nutritis, actâ in ludibrium eorum arrogantiâ, qui cereum quem vnum habent, super Currum triumphalem deuehunt, at cum inæqualibus accendunt titulis, extinguunt. Arsit Majestas Cerea, sed quia vna, vnis absumpta incendijs. Inopes annorum alij vltra robur virtutis accendunt solem: ut publicæ priuatæq; fortunæ incendijs Phàëtontem renovent. Violentis pupillam perstringunt fulgoribus, ne præter tumidæ mentis àërem illustratum vacuam meritis advertant

tánt domum. Grandibus vos attemperastis virtutibus lucem, vt non minùs illustrem honoribus, quàm tantorum capacem siderum ostenderetis Coguntur equidem tituli, tam angustæ quandoq; inseruire virtuti, vt eius repositâ, intra vnius retinæ angustias tenuitate, vix habeant qùòd ferant, nedùm illustrent. CZARNKOVIORVM in aula habuêre habentq; grandia, quò coronent obiecta habent ausa insolita, ad quæ vltro stupeant cum non sufficiant; quin & radijs careret honor totidem, si quamuis virtutem, ex ordine coronare ambiret. Sed supervacaneũ censeo verbis satagere pro Gloria Vestra quam intra immortalitatam, non solùm tot reposuêre virtutes, sed & insolita merita. Non ideò hic Tuos M. memoravi Majores quasi non esses ipse. Posteris Tuis admirationis initium, & virtutis exemplum. Palam est non sinè summa admiratione vniverso Terrarum Orbi, quòd tantùm virtutis habeas, quantùm etiam illi, simillimusq; sis majoribus Tuis, Te non in Nomina tantùm illorum, sed in animos quoq; virtutem, gloriam immigrasse. Habet Polonus Orbis quam grato in Te veneretur poplite sapientiam, in cuius toties felicitatem publicam armata à Tui capitis armamentario deprompsisti Consilia. Vbi enim domestico solutus otio, Palladis descenderes in aciem, vsq; adeò doctioribus stadijs Minervæ olimpia emensus? vt in novum conquisitæ eruditionis præmium nouam adijceres diligentiam. Indignum sanè CZARNKOVIANO ratus sanguine, si antiquum dignitatis valorem posterorum pretia non ad implerent Profundè nimis illud Tuæ insedit menti studium, ne ab ea literarum

are-

arenā redires vacuus, ex qua Tui majores laureatum verticem extulerunt. Hinc luculentum steterat rarioris solertiæ Tuæ indicium, quam citra invidiosam animorum æmulationem omnium sagacitate ingenia, facilitate memorias, subtilitate acumina, admirabili demum, scribendi, loquendiq; modo, grauiores etiā quorumuis sensus præuertisti. Et quoties consueta agere evenit certamina, nunquam ex facunda acie discesisti, nisi Victor. Continuæ sedulitatis exercitio in tantùm ditioni Tuæ subjecisti eloquentiam, vt annorum etiam grauitatem in Tui votum ingenij protraheres. Quicunq; dabat aurem Tullio, principatum oris Tui tenenti, teneram incusabat ætatem, quòd tam vasti capacitatem animi, tardiori passu ad publica negotia expediret. Et jam sibi Auditor longiorē precabatur salutem vt Te vel semel pro Comitijs (quòd jam felicib9 cōplevisti auspicijs Oratorē veterana exciperet aurę. Taceat popularis ille Occentus lyræ ad quam moles Saxorum, vni semper hominum destinata vsui pertracta est? majus mihi invento Orphei artificium est, animos posse hominū, ad arbitrium libertatis positos, eò admiranda virtutis eloquentia deducere, quò nec ipsa ire nolint, nec velle posint alio. Talem Tu Gallicus intra magnam Poloniā Hercules, aureæ dictionis Catenam circumferebas in ore, vt quemcunq; volebas sinè arduò colligabas negotio. Ad primum suadæ Tuæ sonitū aurem alijs, Tibi animum reserabat auditorium, & cum pedibus ibant vltrò manus in Tuam sentētiā. Quòd si lugubris comploratio, è monumentis gloriæ reserabitur, nihil præter viuacem exinde

B3

de ſurget ſuadæ Tuæ triumphum. Scio lugubrē aliquorum facundiam, alterâ ſupra ſui exiguitatē compaſsione indigere, ita enim quandoq; imbecilli ab ore naſcitur, vt emortua veluti de ſepulchro depromat verba, majoribus digna lacrymis, quàm ſepulta in cineribus ſolatia. Procul ab hoc offenſionis lapide, Oratorium remouiſti pedem ipſo Cynea diſertiſsime Domine, quoties enim auream ſoluebas in ſtylum linguā, ipſum pœne toties ſepulchri marmor fabuloſo felicior Deucalione ad vitam memoriæ reducedas. Illud eſt ſingulare vobis a natura pretium, vt antequā Veſtri coronam Honorarij poſsideatis prior intra Minervæ Auguſtalia coronata euadat ſapientia. Docuiſtis victrices laureas tantùm Heròum cingere capita vt doctas etiam redimiant frontes. Monſtraſtis in ferro militiæ, in fronte ſapientiæ creſcere adoreas. nec fæcundiùs ex cruore Mārtio, quā erudito ſudore in meſſem ſurgere. Non ſatis fuerat doctæ Tibi Palladis peragrare campos. ad Martialem etiam arenam heròicū mouiſti pedem. Monſtraſti ad Viennam Generoſæ Indolis ſpecimen, Matialium conſpicuus laborum invicti patentis Tui æmulando veſtigia. Calcaribus aliorū, frenis Tuus egebat equus, celerius in hoſtiū diſcrimina proruendo Non parumper gauiſa eſt Polona Aquila, quòd eundm atq; in Nobiliſſimo Parente adverterit animū, ſub cuius triumphalem dexterā ſeſe tuto deponeres. Murmurabat eò nimium Nobiliſsimo pudefactus cruore Danubius, quòd inter ſeruiles Othomani exuvias, baiula libertatis fluitaſſent corpora. Rubuit non parumper Neptunus, quòd extra Balthidem, nume-

roſi-

roſius oſtium in Poloniâm non reſeraſſet, quo tam cara dexteritatis ſpolia ad tumulum gratæ Patriæ, inter Nympharum ſyrenumq; claſsica deportaſset. Sed fruſtra lacrymarum profluvio adimpletur Danubius Non omnis illo Poloniæ Heros abreptus eſt, non Honor abſorptus. Habet adhuc Orthodoxus Orbis, non armis minùs quàm conſilio potentes Heròás. Poſt tot Bellorum diſcrimina Nouvm Te Cyneam dicentem tantùm in Comitiolis pro Publico bono quantùm Comitijs Nobili libertate nihil timori, nihil faciori præſtando venerata eſt Auditoris confluentia, cum non auribus ſolùm tantummodò, ſed animis, diceres & pro libertate quò velles traheres. Procul ab ijs qui in verba ſoliciti mulcent aures, vt Reipublicæ ſalus impingāt in ſeruitutem. Ita in commune Patriæ Bonum intentus pœnè Tui oblitus videreris. Arguebas illos exemplo, qui catenas & vincula ab ore fundunt, quibus aut libertatem ſtringant, aut captivam faciant libertatem, Nunquàm ore Tuo, cui ſe toties concredidit ſalus publica, humilia in adulationem verba, vt ſolenne illis eſt, qui tot & favore & fortunâ pendent, ſubmiſiſti. Quid non ſanctum piumq; Themis expectet ab illo ore? quòd veriùs quàm olim caligulæ, publicæ Fortunæ os grata fatetur Patria. Oderas eorum Indolem qui præcoci molimine, ad honorum faſtigia eluctantur & inter in opinos fortunæ plauſus nimis citò euaneſcunt. Senſim nolunt alij creſcere vt affectato honori, velociùs ſinè ſenſu decreſcant. Et jam ſolem induunt ſupra ætatis merita cum Phaetonte, vt accenſo fortunæ cælo, auidū ſplendoris nomen extinguant & in ipſo titulorum in-

cendio vmbras adinveniant ignominiæ. Immaturam eminendi cupiditatem, vltricibus sæpè castigant flammis, cum renitente ætatis cursu, siccitatem meritorum accendunt titulis, jaciuntq; Patrium inflammas Orbem suum in fumos nomen. Altas arbores in plerisq; crescere videas, quæ vel ideò nubibus proceritatem inferunt, vt plus nucum inanium progenerent, vndiq; titulorum frondes ampliant, vt prætereuntium castigentur flagellis. Robustiora in mille usus robora lento passu succrescunt, vt decerpta sub Autumnum bellaria sapidiorem gustui maturitatem apponant. Czarnkoviis ad lancem meritorum ponderantibus honorem, ille velocior ad curules passus, qui in continuò eorum gloriæ multas numerauit morulas antequam admitteretur. Et quamuis jam merita ferent in auge, ne tamen simul omnia fortunæ lucem viderent, vibratos vltro titulorum radios ad suasum modestiæ remouebant. sed frustra impositis frena Piroentibus Eoiq; vigalibus, in amplo meritorum curru deuehunt ad aulæ vestræ capitolium Honoris solem. Frustra Fortunæ Orbitam, ab alto culmine throni properantem, cunctabunda coërcet virtus roseratis in obsequio postibus vestram supplex devolutus deuoluiturq; ad arcem. Mirum est quòd Gentilitiæ Nobilitati novam fere nobilitatem, Majorum virtutibus novas adijcias virtutes Nobilis profectò victoria, qua virtus de virtute triumphum agit. Ita instituis vitæ ætatem suæ, vt vnicus cum sis Posteris initium Nobilitatis, laudisq; invitamentum futurus sis. recalcas Majorum vestigia, vt magnas magnorum animas in Te superstites Orbi Polono referre videa-

dea-

dearis. Non immeritò Lyricus extulit. *Fortes creari Fortibus, & Bonis.* Confirmavit Tuo natura exemplo *ab arbore ramum non dissentire* Fortunati Majores etiamnum in nepote vivunt. Bis fortunatus Nepos suos repræsentans Majores. Quia enim mellifluâ Platonis caream eloquentiâ vt eas dignè circumscribam virtutes, quibus jam sola perennitas mancipata. Nec lyncem agam omnivolum, vt attonito animo, vniversa quæq; scrutari valeam merita. In ipso Encomiorum limine tenuem abstraho pennam, cum *sola sibi virtus, vt præmium, ita encomium sit, maximaque eius laus nunquam exæquo laudari possit.* Accipies tamen quidquid hodie tenuitas Tuæ adijcit Magnificentiæ. Etsi aliquod maxima virtus & merita patiantur detrimentum, non eò sol obscurior quòd caliginosâ circumducatur nube. *Viuit in cineribus flamma. Etiam in naufragio gemma portum habet.*

DIXI.